

nerentur, ossibus vero ossa et hoc secundum eandem rationem, etiam aliis, ea, qua ipsis propria sunt, singulis accedant, tunc quidem mollem, qua pauca est postea multam fieri, atque ita fieri parvum hominem magnum. Haec quidem ex Phaedone allata sunt ad refellendum
5 Aristotelis mendacium, quo asserebat Platonem de incremento nihil tractasse.

Nec minus mendacii convincitur, cum ait illum de alteratione non scripsisse, namque in Theaeteto haec scripta sunt:⁴⁹ *Quando fuerit quidem in eodem, senescit autem, vel nigrum ex albo, vel durum ex molli fiat, vel aliam alterationem alteretur, num quid non dignum est aliam speciem dicere motionis?*

Neque vero quicquam sublimius hoc Aristoteles de alteratione docuit capite 4. primo De generatione:⁵⁰ *Alteratio quidem est quando manente subiecto sensibili mutatur in ipsius passionibus vel contrariis [344] vel intermediis.* Nam quod hic (manente subiecto) dixit, Plato illis (in eodem) expressit, Aristoteles (sensibili) nulla necessitate adiunxit, nullum enim subiectum est, quod sensibile non sit. *Passiones vero contrarias, quas hic ait Plato exemplis nigri et albi, duri et mollis, et alia illa alteratione explicuit et Legum 10. eadem de re.*⁵¹ *Secundos opifices rursus assumentes motus corporum ducunt omnia in incrementum et decrementum et secretionem et concretionem et his consequentes caliditates et reliquos.*

Apertissima ergo sunt haec Aristotelis mendacia nec ea potest quisquam excusare, etiam si dicat Aristotelem illud in Platone reprehendisse, quod non vere de osse et carnibus tractasset, tum de incremento atque alteratione, haec enim cautela Aristotelis verbis non quadrat, in quibus omnino absolute negat de his a Platone traditum quicquam fuisse.

⁴⁹ ὅταν δ' ἡ μὲν ἐν τῷ αὐτῷ, γηράσκῃ δέ, ἡ μέλαν ἐκ λευκοῦ, ἡ σκληρὸν ἐκ μαλακοῦ γίγνηται, ἡ τινα ἀλληρ ἀλλοιώσιν ἀλλοιῶται, ἀφ' οὐκ ἄξιον ἔτερον εἶδος φάναι κινήσεως; [PLATO, Tht. 181.c.9 – d.3]

⁵⁰ ἀλλοιώσις μέν ἐστιν, ὅταν ύπομένοντος τοῦ ύποκειμένου, αἰσθητοῦ δύντος, μεταβάλῃ ἐν τοῖς αὐτοῦ [αὐτοῦ] πάθεσιν, ἡ ἐναντίοις οὖσιν, ἡ μεταξύ. [ARIST. GC 319b.10 – 12]

⁵¹ τὰς δευτερογονοὺς αὖ παραλαμβάνουσαι κινήσεις σωμάτων ἄγουσι πάντα εἰς αὔξησιν καὶ φθίσιν καὶ διάκρισιν καὶ σύγκρισιν καὶ τούτοις ἐπομένας θεομότητας. [PLATO, Lg. 897.a.4 – 7]